



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. D. Thomæ Delbene Marvbiensis, Clerici Regvlaris,
Sacrae Theologiae Professoris ... De Immvnitae, Et
Ivrisdictione Ecclesiastica**

Bene, Thomas del

Lugduni, 1674

ij. Difficultates, earumque solutiones.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98676](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98676)

SECTIO II.

Difficultates, earumque solutiones.

S V M M A R I V M.

1. *Iudex, qui non mandauit extrahi reum ab Ecclesia, si tamen restituat, cum sit sub eius potestate, non peccat ratione mandati, sed ratione indebita retentionis.*
2. *Iudex, qui non mandauit extrahi reum ab Ecclesia, sed extractum non restituit, cum sit sub eius potestate, peccat violando reuerentiam de iure Ecclesie, & immunitatem eius, & quoad utrumque facit contra Gregorianam.*
3. *Iudex, qui reum nulliter, & inualide extractum etiam ipso inspecto, Ecclesie non restituit, censetur primò extrahere, seu capere ab Ecclesia.*
4. *Ratificans percussorem Clerici non factam suo nomine peccat, sed non incurrit excommunicationem Canonis.*
5. *Ratificans tamen extractionem rei, indebite detentioni cooperando, non solum peccat, sed incidit in excommunicationem.*
6. *Consulens extractionem rei non incurrit censuras, & penas Gregorianas.*
7. *Neque etiam, qui illam ratam solum habet.*
8. *Neque Episcopus, aliusve Prælatus, qui extrahit, vel extrahi mandat, si id faciat quatenus vitur potestate Ecclesiastica, secus si prout vitur potestate laica.*
9. *Respondetur ad opposita.*

Obiicies ex Cutell. loc. supra cit. saltem Iudex, qui sine mandato proprio extractum reum, iamque in suo posse sine propria culpa existentem non restituit, non peccat: ergo non incurrit excommunicationem, cum hæc necessariò supponat peccatum mortale.

Respondetur ex dictis, nego antecedens.

Instabis: non peccat violando reuerentiam debitam Ecclesie, nec violando immunitatem eius, qui ad Ecclesiam confugit, iuxta cap. sicut antiquitus, ibi: *Qui autem confinia eorum infringere tentauerit: & c. miror, ibi: Hominem ab Ecclesia rapuisti, & paulò post: Ecclesia igitur illasum renoua, quem irreligiose rapuisti, & in cap. frater, ibi: In contumeliam religionis, acerbam nimis, & plebilibi contumacia profuisse, qui confugientem ad Ecclesiam supra Curialem suam, nec ibi quidem tutum de iniuria sua securum esse dimiserunt. Et infra: Hi, qui in iniuriam sanctorum locorum profuisse probantur: & in Canon. si quis contumax, ibi: Timorem Dei, vel reuerentiam sanctarum Ecclesiarum non habuerit: ergo, &c.*

2. Respondetur: nego antecedens, sed peccat quoad utrumque, siquidem Ecclesie, quæ per iniuriam est spoliata, reum per iniuriam extractum non restituit:
3. & sic quoad utrumque facit contra Gregorianam. Accedit, quod cum extractio fuerit non solum illicita, sed etiam nulla, & inualida, sicut dicebam, Iudex, qui reum sic extractum Ecclesie non restituit, ipse censetur primò extrahere, seu capere ab Ecclesia.
4. Virgebis, qui approbat percussorem Clerici factam, licet peccet, non incurrit excommunicationem, nisi illa nomine suo fuerit facta, vel ab ipso mandata, cap. cum quis, 23. de sentent. excomm. in 6. ergo & Iudex, qui approbat extractionem rei ab Ecclesia, licet peccet, excommunicationem similiter non contrahet, nisi extractio similiter nomine suo fuerit facta, vel ab ipso mandata.

Respondetur, concedo antecedens: at nego consequentiam, & disparitas est, quia posterior excommunicatio, ut patet ex dictis, fertur diuerso modo, quo fertur prior: non enim omnis excommunicatio fertur eodem modo, scilicet in easdem personas, vel actiones.

Respondetur 2. distingo consequens: ergo & Iudex, qui approbat extractionem rei ab Ecclesia, licet peccet, excommunicationem similiter non contrahet, nisi extractio similiter nomine suo fuerit facta, vel ab ipso mandata, distingo: si approbet quoad effectum tantum, concedo; si approbet vterius etiam quoad effectum, reum scilicet sic ab aliis extractum retinendo, & incarcerando, nego; quia sic progreditur ad actum, cui etiam à Gregorio XIV. eadem excommunicatio allegata est, ut patet ex dictis: sicut excommunicationem contraheret, qui percussorem Clerici nomine suo non factam, non solum approbaret quoad effectum, sed etiam quoad effectum, vterius scilicet Clericum percutiendo.

Petes 1. An penas, & censuras dictas incurrat, qui consulit aliquid contra, vel præter formam illius Bullæ.

Respondetur negatiue, quia penas, & censuræ latae contra facientem, vel attentantem non complectuntur consulentem, quapropter, ut eum complectantur, solet legislator in eis explicare.

Petes 2. An incurrat, qui solum ratam habet extractionem rei?

Respondetur etiam negatiue; quia cum ratihabitio sit posterior factio, qui ratum habet, non dicitur attentare, sed approbare factum; quapropter ut excommunicatio Canon. si quis suadente, eum complectatur, explicuit legislator.

Petes 3. An incurrat Episcopus, vel alius Prælatus, qui extrahit, vel extrahi mandat contra vel præter formam præsentis Bullæ?

Respondetur, quod (licet Gambacurt. lib. 8. c. 9. n. 7. & seq. simpliciter affirmet, quia si Ecclesiastici immunitatem non seruant, neque eam seruabunt Ministri Curie secularis ob prauum Ecclesiasticorum exemplum: tum quia postquam Gregorius in hac Bulla expressit nonnulla seruanda, tam à laicis, quam à Clericis, absolute excommunicat omnes temerarios huius Bullæ transgressores, qui aliquid contra, vel præter formam in ea expressam attentare præsumserint) tamen distinguendum sit, vel Episcopus, aliusque Prælatus id facit, quatenus vitur potestate laica, ut si dominium temporale habeat, vel Principis officialis sit, & hoc titulo procedat, vel quatenus vitur potestate Ecclesiastica, siue ordinaria, siue delegata. Si primum, absque dubio incurrit excommunicationem præsentis Bullæ; quia tunc procedit ut laicus. Si secundum, satis probabiliter non incurrit, quia satis probabiliter præsentis Bulla solum introducta est in præiudicium potestatis laicæ, ad refranandam scilicet temeritatem, & audaciam laicorum, qui confugientes ad Ecclesiam propria autoritate extrahebant, uti dub. 10. sect. 12. dicebam.

Quapropter ad primum Gambacurtæ argumentum respondetur, quod laici arrepturi sint occasionem scandali, si Ecclesiastici non seruent immunitatem, cum procedunt autoritate laica, secus cum procedunt autoritate Ecclesiastica, cum immunitas Ecclesie, uti dicebam, introducta sit solum in ordine ad potestatem laicam, non item Ecclesiasticam.

DVBITA